

DE OVIDIO ET MENANDRO

I. De Poenuli Plautinae versibus 337. 338.

Poenuli Plautinae scaena est Calydone in Aetoliae oppido, die Aphrodisiorum, quo meretrices ad Veneris aedem festivis vestimentis ornatae convenire et deam suam precibus hostiisque adire solebant. Introducuntur in scaenam sorores duae meretrices, quae diverbio de officiis moribus vestimentis et suis et aliarum mulierum habito ipsae quoque ad Veneris aedem sunt properaturae. Quarum alteram quae est maior natu interpellat adulescens quidam amator eius, qui sermone clam auribus intercepto cum ea se in sermonem dat 'quid festinet' interrogans eisque quae illa respondit venuste ludens; versus sunt 337 et 338, alter a meretrice, alter ab adulescente dictus:

'sunt illi aliae quas spectare ego et me spectari volo.' —

'qui lubet spectare turpes, pulchram spectandam dare?'

Quos versus subtili cum arte verbi 'spectare' generum formas activam et passivam contra positas praebentes, ita tamen ut ad eandem utriusque formae subiectam personam pertinentes sustentationem quandam et inopinati vim et sententiam contra positis illis verbis addant, in graeco Poenuli exemplari locum habuisse quamvis facile sit credibile, tamen paucis quibusdam quae illi opinioni firmandae utilia essent exemplis comprobare placuit. Quae enim huius tamquam figurae exempla ad quosdam veterum scriptorum locos explicandos a viris doctis collecta inveni¹, ea e posterioris maxime aetatis scriptoribus satis fortuito congesta

¹ Multa exempla in Taciti operum editionis Bipontinae censura, quae Bibliothecae criticae volumini II 2 inest, congesta reperies (p. 65 sq.) ad Taciti verba (ann. 6, 35) 'pellerent pellerentur' illustranda; afferuntur praeter Xenophontis et Euripidis locos quosdam mihi quoque exscribendos imitationes Homericae hae: Philostr. vita Apoll. 2, 22 p. 66 K. (1870) μεστὰ γὰρ καὶ ταῦτα ἀλλύντων τε καὶ ἀλλυμένων; 5, 26 p. 185. Heliodor. 1 22. Themist. or. 15 p. 184 Hard. Julian. imp. or. I p. 27^d

visa sunt ut non mihi verendum esse putem, ne quis originem huius figurae paucis verbis adumbrare conanti mihi Gorgianum hoc obieciat: τὸ γὰρ τοῖς εἰδόσιν ἃ ἴσασι λέγειν πίστιν μὲν ἔχει τέρπιν δὲ οὐ φέρει. Atque originem haec genera verbi inter se contra posita ex Iliadis illis versibus ducere videntur, quibus Achivorum Troumque pugnantium atrocitatem depictam legimus: ἔνθα δ' ἄμ' οἰμωγὴ τε καὶ εὐχολὴ πέλεν ἀνδρῶν ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων (Δ 450 sq. = Θ 64 sq.), nam etsi εὐχολὴ ὀλλύντων et οἰμωγὴ ὀλλυμένων contra ponuntur, tamen verba ita disposita sunt, ut ipsa collocatione permixtus eorum qui interficerent et eorum qui interficerentur virorum clamor illustraretur ancepsque pugnae fortuna, qua qui modo hostem superavisset mox ab altero hoste ipse superari posset. Eadem verba leguntur in versu Λ 83 qui Iovem ex Olympo pugnam Troianorum et Achaeorum facit prospectantem χαλκοῦ τε στεροπὴν ὀλλύντας τ' ὀλλυμένους τε. Verbis gravius inter se contrariis Aeschylus Antigona et Ismenam fratres alterum ab altero interfectos lamentantes fecit (Sept. 961 [941] sqq.): παισθεῖς ἔπαισας. σὺ δ' ἔθανες κατακτανῶν. — δορὶ δ' ἔκανες. — δορὶ δ' ἔθανες, quae explicantur 941: παταχθεῖς ἐπάταξας. 942

οἰμωγαὶ βαρβάρων ὀλλύντων μὲν οὐδαμῶς, ἀπολλυμένων δὲ πολυτρόπως. Cf. etiam Liban. or. funebr. in Iulian. 57 p. 541 R.; imitatio fortasse Xenophontea est Cass. Dio. 47, 45, 1 ἐτίρωσκον ἐτιρώσκοτο, ἐφόνευον ἐφονεύοντο. 47, 45, 3 καὶ γὰρ ἐνίκησαν ἀμφοτέροι καὶ ἠττήθησαν, ἔτρεψάν τε τοὺς ἀντιτεταγμένους σφίσις ἑκατέροις καὶ ἐτράποντο. Suid. II 2 p. 430 Bernhardt s. v. πρόσθαι (frg. Polyb.?) λαβῶν δὲ τὸ ἔφος Πόρκιος Μάρκος καὶ καταληφθεῖς ὑπὸ τῶν πολεμίων (ἐφόνευε καὶ (elegantèr supplevit Bernhardt)) ἐφονεύετο κτλ. Ibidem iam Geddesius in libro 'de veterum et in primis Platonis stilo' scripto haec exempla ex Homericò versu Δ 450 derivasse commemoratur. Cf. praeterea Schonack Philolog. 69 (1910) p. 430 sqq., qui ad Hippocratis locum περὶ ἀρχ. ἰατρικῆς 2 Littre I p. 572 emendandum ἔξαπατάται τε καὶ ἔξαπατᾶ (sc. ὁ τὰ πάλαι εὐρημένα ἀποβαλῶν) et alia exempla affert et haec ex Anth. Pal. 12, 210, 4 τέρπιν ἐξόπιθεν, πρόσθε δὲ τερπόμενος et Catull. 45, 20 ament amentur. (cf. 61, 47 deus . . . amatis petendas amantibus. Phaedr. 2, 1, 2 ament, amentur. Theocr. 12, 16 ἀντεφίλησ' ὁ φιληθεῖς; venuste Catullus mutuum amorem depinxit verbis quae utraque ad utrumque amantem pertinerent. Aliter Antiphon soph. frg. 49 Diels Vorsokr. II² p. 598, 18 (II³ p. 299, 20) ἀξιώσαντα καὶ ἀξιωθέντα; cf. Dielsii adn.). Taciti locum (hist. 1, 81) 'cum timeret Otho, timebatur' cum Plutarchi verbis (Otho 3): φοβούμενος . . . ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν αὐτὸς ἦν φοβερός ἐκείνοις comparavit Mommsenus (Herm. 4 p. 314 = Ges. Schr. 7 p. 242; cf. Helm Neue Jahrb. 21 [1908] p. 480).

σὺ δ' ἔθανες: ἀνῆρέθησαν οὕτως· ὁ πλήξας ἐπλήγη, ὁ δὲ ἀποθανῶν ἀνελὼν τὸν ἕτερον ἀπέθανεν. Quem fortasse locum imitatus Xenophon pugnae cuiusdam descriptionem his dedit verbis: (οἱ Πέρσαι) ἀνεχάζοντο παίοντες καὶ παιόμενοι . . . ἐμάχοντο ἐώθουν ἐωθοῦντο ἔπαιον ἐπαίοντο (in Cyri inst. 7, 1, 34 et 38; cf. hist. graec. 4, 3, 19 et Cass. Dio. 47, 45, 1. 3.). Sophocles autem Creontem de iisdem illis Oedipodis filiis dicentem fecit: ὤλοντο παίσαντές τε καὶ πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι (Antig. 171 sq.), aut ab eodem verbo repetito aut a passiva forma παίσ-θεις abhorrens (cf. Bruhn ad l.) aut eos secutus qui contrarias sententias mutatis verbis gravius opponi putabant. Cuius artis exempla praeter Aeschyleum versum Choeph. 499, quo Orestes patris manes appellat: εἴπερ κρατηθεῖς γ' ἀντινικῆσαι θέλεις¹, praeter Sophocleos versus Oed. Col. 1388 sq: συγγενεῖ χερὶ (Oedipodis sunt verba Polynicem filium execrantis) θανεῖν κτανεῖν θ' ὕφ' οὐπὲρ ἐξελήλασαι multa afferre possum exempla non solum e tragicis poetis, sed etiam ex oratoribus Atticis hausta, quibus vel κτείνειν θανεῖν vel δρᾶν πάσχειν vel ἀμαρτάνειν ἀδικεῖσθαι vel ἄρχειν δουλεύειν multa alia contra ponuntur, sed quae quidem mihi innotuerunt omnia cum non formas tantum sed sententias quoque contrarias praebeant in alio figurarum genere annumeranda esse videntur atque comici illi versus quorum propria et singularis vis eo consistit quod eadem una persona idem simul et agere et pati dicitur². Quam figuram e poetico genere dicendi natam ne Gorgias quidem saepius quam semel vel bis in declamationibus contra positorum uberrimis adhibuit, in Helenae laudatione: ἡ ὄψις ἐταράχθη καὶ ἐτάραξε τὴν ψυχὴν et in Palamedis defensione: στρατόπεδον γάρ ἐστιν ἐν ὅλοις ἐν οἷς πάντα ὀρώσι καὶ πάντες ὑπὸ πάντων ὀρῶνται. Multo saepius illa figura in Euripidis fabulis obvia est, in eis praesertim quas provectori aetate scripsit, idemque ille primus fortasse figuram, quam e descriptione inter se pugnantium necantiumque ortam

¹ Hoc fortasse loco Horatii hi versus (carm. 4, 4, 22 sq.) 'sed diu lateque victrices catervae consiliis iuvenis revictae sensere' eqs. apte illustrantur, namque illa verbi 'revincere' singularis notio, quam Kiesslingius recte interpretatus est, Bentleius tamen magnopere admiratus 'repressae' conciciens tollendam esse iudicaverat, e graeci Aeschylei vel Aeschyleo similis versus imitatione facillime intellegitur. Cf. etiam Aeschyl. Agam. 340 οὐ τᾶν ἐλόντες αὖθις ἀνθαλοῖεν ἄν.

² Idem dicendum est de Aristoph. nub. 1175 καὶ δοκεῖν ἀδικοῦντ' ἀδικεῖσθαι καὶ κακουργοῦντ' οἷδ' ὅτι multisque aliis similibus exemplis, quae affere supersedeo.

esse exempla docere videntur, in alias res transtulit. Simplicis illius Homericæ figuræ exemplum præbet Supplicum fabulae (a. 422 fortasse actæ) versus 700: ἔκτεινον ἔκτεινοντο, artificiosius et gravius verba initio et exitu unius eiusdem versus contraria posita leguntur in Hercule fabula paucis annis post acta (vs. 1098—1100): περωτά τ' ἔγχη τόξα τ' ἔσπαρται πέδω, ἃ πρὶν παρασπίζοντ' ἑμοῖς βραχίσιον ἔσψζε πλευράς ἐξ ἑμοῦ τ' ἔσψζετο est Herculis e gravi insaniae torpore emergentis admirata interrogatio; diversae artis est Andromachæ versus 740: παρῶν δὲ πρὸς παρόντας ἔμφανῶς γαμβροὺς διδάξω καὶ διδάξομαι λόγους, qui verba contraria medio in versu inter verba ab utroque pendentia collocata præbet. Alios versus, quorum ipsa sententia verbi generum contrariorum est causa, velut Creusæ illa minantis verba (Ion. 1311) λυπήσομέν τιν' ὦν λελυπημέσθ' ὑπο¹ quamquam affere nolo, duos tamen exscribere ad originem versuum illorum comicorum explicandam non inutiles placet: hæc dico nuntii verba, qui Liberum et Pentheum baccharum agmini impie obrepentem comitatus erat: τά τ' ἐκ ποδῶν σιγήλᾶ καὶ γλώσσης ἄπο σψζοντες, ὡς ὀρώμεν οὐχ ὀρώμενοι et Hecubæ miseræ lamentantis verba hæc (Troad. 487. 488): κοῦτ' ἐξ ἐκείνων ἔλπις ὡς ὀφθήσομαι, αὐτὴ τ' ἐκείνας οὐκέτ' ὄψομαί ποτε. Sententiam autem, quæ comicæ illius quasi elementum esse possit, hæc Theophrasti verba inter γαμικὰ παραγγέλματα a Stobæo servata (74, 42) complecti videntur: οὔτε ὄραν οὔτε ὄρασθαι γυναῖκα, καὶ ταῦτα ἐξησκημένην πρὸς κάλλος, quibus cum historiam ab Aeliano (var. hist. 7, 10) traditam comparavit F. Bock: τῇ Ξανθήππῃ δὲ ὁ Σωκράτης ἐπεὶ οὐκ ἐβούλετο τὸ ἐκείνου ἰμάτιον ἐνδύσασθαι καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν θεάν τῆς πομπῆς βαδίζειν, ἔφη· ὄρᾶς ὡς οὐ θεωρήσουσα, θεωρησομένη δὲ μᾶλλον βαδίζεις; En singulæ partes e quibus coniunctis et ornatis versus illi Poenuli vel potius Carchedonii compositi esse videntur, qui cui poetæ debeantur ut statuamus versus quidam Ovidianus ansam nobis dabit, quem recta via ex illis eisdem graecis versibus fluxisse monstrare conabor.

II. De Artis Ovidianæ versu I 99.

Ut ambigua est de elegiarum latinarum origine quaestio, ita perdifficilis et lubrica de Artis Ovidianæ fontibus; cum enim elegiaca carmina utrum de elegiis an de epigrammatis Alexan-

¹ Cf. Martial. 3, 97⁷ carmine laesa meo est, laedere et illa potest.

drinis potius derivanda sint dubitare debeas, graeci carminis quod aliquo modo cum 'Arte amatoria' comparare possis neque vestigia neque ulla omnino memoria servata sunt. Atque feliciter Ricardo Bürger¹ contigit ut multa argumenta e Romanorum aequalium poetarum carminibus, multa ex Alexandrinis poetis hausta et amplificatione et ornatibus aucta 'Arti' inesse ostenderet. Menandri ipsius quoque fabulas Ovidio notas fuisse cum neminem negavisse vel negaturum esse putem, tamen ex eius fabulis ne unum vel alterum quidem argumentum in Ovidianam Artem fluxisse certis argumentis comprobatum est, ita ut unum quidem versum, eum tamen sententia et arte iure celebratissimum et famosissimum, ex ipsa Menandri quadam fabula haustum esse me probantem non iniucunde viros doctos audituros esse sperem. Si enim unum illum versum ex ipsa fabula Menandrea depromptum et Arti insertum esse intellexerimus, alia quoque argumenta, quae utrum ex comoedia an ex Alexandrina poesi recta via derivanda essent dubitare debebamus, ex comoedia delibari potuisse concedemus: 'potuisse' quidem, non 'debuisse', sed ne hoc quidem inutiliter monstrasse mihi videbor hoc tempore, quo vereor ne multi viri docti veterum illorum poetarum vel eruditionem vel artem nimis artis finibus constringant atque coerceant summam operam navantes, ut singulos poetas e singulis praecipue fontibus hausisse ostendant.

Ovidius antequam ipsam artem amandi tirones docendam aggreditur, loca enumerat in quibus quod amare velis possis invenire, inter quae praecipuum locum obtinent theatra, quo ut formicas frequentes vel ut apes per olentium pascuorum flores et summa thyma volantes puellas graciles convenire dicit:

sic ruit in graciles cultissima femina ludos,
copia iudicium saepe morata meumst.

(I 99) spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae:
ille locus casti damna pudoris habet.

Ecce versus et sententia et figura et verbis mirum in modum congruens cum illis Plautinis versibus, a quibus profecti sumus:

¹ R. Bürger de Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte. Guelferbyti 1901. Quam commentatiunculam eis quoque, qui bibliothecae nostrae regiae administrandae praesunt ignotam sero in manus meas venisse valde doleo, cum iam ille Ovidianum versum cum Plautino comparaverit, quod etiam Paulum Brandt neglexisse miratus sum. Sed cum ille neque de Plautini versus arte quae supra exposui neque de Ovidiani versus origine quae conieci congesserit aut suspicatus sit, hanc commentatiunculam opprimere nolui.

'sunt illi aliae quas spectare ego et me spectari volo.' —

'qui lubet spectare turpes, pulchram spectandam dare?'

Quibus ille Ovidianus et Plautini versus differant, ea Ovidianae arti tribuenda esse ex aliis eius versibus, qui illius artem quasi praeparare videntur, collatis facile intellegemus. Quae comicus poeta duobus versibus genera verbi iterata contra posuerat ea Ovidius uno versu complexus est suum secutus morem, quem paucis his exemplis illustrare iuvat:

am. 1, 4, 57 agmine me invenies aut invenieris in illo.

1, 10, 30 sola locat noctes, sola locanda venit.

Verba contra posita Ovidius in initio et exitu unius eiusdem versus disposita eidem verbo iterato subiecit, ut gravius et magis conspicuum contra positum evaderet, cum idem verbum 'veniunt' repetitum audienti quasi expectationem sententiae ipsius quoque repetendae moveret, quae tamen ita mutaretur, ut in partem plane contrariam et diversam discederet. Sententia non ita dissimiles sunt versus hi Amorum (3, 2, 5—6):

tu cursus spectas, ego te: spectemus uterque,

quod iuvat, atque oculos pascat uterque suos,

verba simili cum arte collocata praebet versus hic (am. 2, 5, 43):

spectabat terram, terram spectare debebat,

sed ab utroque versu illa elegans verborum παραδόξως, si graeco verbo uti licet, contra positorum figura abest, quam Ovidio Menandrei illi versus tandem obtulerunt. Praeclare deinde poeta versum ita instituit, ut semiquinaria caesura non numeri solum compares¹ et verba, sed etiam sententiae dividerentur. Quo modo factum est ut quadam inversi verborum ordinis lege versus compositus videretur, quae quod verbum in altera sententia posteriori locum haberet, id in altera priorem obtineret, a quo prior sententia initium cepisset, ad illud altera quasi reverteretur ita ut versus quasi orbis circuitu sententiam undique absolutam et confectam complecti videretur. Tum quae comicis illis versibus sustentationis et inopinati vis inest Ovidiano versu eo aucta praebetur, quod verbo 'spectare' altero loco probandi quaedam notio subesse videtur: non enim ut conspiciantur tantum puellas venire putem, sed ut cum admiratione spectatae atque probatae placeant pueris et hominibus venustis. Sed frustra omnes illas uno isto versu elegantias reconditas verbis detegere et aperire conabor, quippe quae nimis subtiles sint quam quas verbis com-

¹ Cf. Paul Maas Herm. 48 (1913), 157.

prehensas explanare possim, dignas tamen, quas relegendo sensu animoque penitus percipiamus:

spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae.

Qui versus quin recta via in Artem fluxerit ex illis graecae cuiusdam comoediae versibus, quibuscum sententia et figura, re et verbis congruat, non dubium mihi esse fateri non iam vereor, postquam quibus illi versus inter se differant artem sapere Ovidio propriam comprobare studui, eumque qui inter comicos illos et Ovidianum versum ignotum quendam Alexandrini cuiusdam poetae intercedere contendat plane arbitrario neque ullo fundamento nisum rem gerere existimo. Ex ipsa Plantina Poenulo Ovidium hausisse quam sit veri dissimile non est cur verbis moneam, cum veteres poetas neotericis illis ignotos fere fuisse eorumque e numero unum Ennium 'arte rudentem' semel ab Ovidio nominis fama magis quam admiratione perducto appellari inter omnes constet. Graecas autem fabulas illa aetate lectitatas et praecipue Menandri hominum urbaniorum et eruditiorum qui tum essent manibus versatas esse luculento ipsius Ovidii testimonio docemur, qui ut se suaque carmina defenderet haec in Tristium libro altero scripsit (369. 370): 'fabula iucundi nulla est sine amore Menandri, et solet hic pueris virginibusque legi'. Fabulas quibus Καρχηδόνιος esset titulus duo scripserunt poetae: Menandrus ille idem novae comoediae clarissimus auctor et Alexis, cuius rarissime apud Latinos scriptores fit mentio atque ea e grammaticorum fortasse libris vel memoria hausta a Vitruvio in libri de architectura scripti praefatione, altera a Gellio inter graecos poetas quorum fabulae Latinae factae essent enumerandos.

III. De Poenuli scaena 12 Menandri Carchedonio tribuenda.

Iam igitur versum illum Ovidianum, quem etiam nunc ad vitae muliebrisque ingenii eius peritiam illustrandam afferre solent magis tamen ad artem explicandam idoneum, summa cum probabilitate e Menandri Carchedonio haustum esse statueremus, nisi illi versus Plautini locum haberent in ea scaena, quam alteri fabulae a Plauto contaminatione quam vocant cum Menandri Carchedonio consutae viri docti tribuunt. Ita enim duo graeca exemplaria a Plauto tamquam conglutinata esse putant, ut duo fere actus posteriores Carchedonio tribuendae sint, trium priorum actuum multo maior pars alteri cuidam fabulae. Qua de quaestione ut rectius iudicemus quamquam Ovidianus ille versus

ansam non praebet, ex quo alteram quoque fabulam Menandro tribuendam esse colligere possis, id quod iam Leo suspicatus est, tamen illam scaenam I 2 Carchedonio derogandam esse doctissimos viros Langenum¹ Leonem² Iachmannum³ mihi non persuasisse fateor, quorum argumenta, quoad ne longus fiam de uno eodem versu disserens fieri potest, refellere conabor, aperiendae magis ac temptandae viae voluntate quam conficiendae spe ductus. Langenus eumque secuti Leo et Iachmannus eo distare putant fabulas, quod leno in altera duarum tantum illarum sororum servarum in Carchedonio plurium meretricum sit dominus; sed in Curculione quoque iuvenem quendam audimus narrantem lenoni, qui in vicinis habitet aedibus, ancillulam esse, quam ille meretricem velit facere, cui etiam leaenam custodem additam et in scaenam introductam videmus, neque ullo loco aliarum ancillarum mentionem fieri audimus, immo Lyco trapezita ubi Cappadocem lenonem conspexit, eum rogat ut cum illo (Curculionem parasitum dico) mittat virginem (457) nullo alio addito verbo. Quod semel in Poenulo lenonis servus Syncerastus in lenocinii descriptione multorum amatorum mentionem facit, e quo multas ei fuisse meretrices colligere debeas, tale discrimen noli magni aestimare, nam facile spectatores ea, quae ad ipsam actionem inutilia poeta aut omisisset aut mutasset, e sua vitae hominum morum peritia aut adiciebant aut corrigebant neque talibus minutiis eos offendisse crediderim; eaque quae Syncerasti verbis inest negligentia illorum ipsius verborum sententia et vi satis explicatur. Neque alterum quod proferre solent argumentum quamvis potentius videatur scio an non plus valeat; alterius enim fabulae sorores meretrices esse dicunt, meretricum mores gerere et sermones habere, in Carchedonio autem sorores se gerere ut ingenuas deceat, quam sententiam ut comprobent et alia et praecipue haec illarum verba afferunt: 'nam quom sedulo munditer nos habemus vix aegreque amatorculos invenimus' (235 sq.), 'liberare iuravisti me haud semel sed centiens... neque istuc usquam apparet, ita nunc servio nihilo minus' (359 sqq., cf. Langenum p. 183 sq.). Sed vereor ne qui talia afferant viros doctos falsa de meretricum puellarumve quae meretrices fieri deberent teneat opinio. Nonne eae puellae quae meretrices fieri nollent summam operam dare debebant ut

¹ Plautinische Studien, Berlin 1886, p. 181 sqq.

² Plautinische Forschungen ¹ 153—161 = ² 170—178.

³ Xάριτες. Friedrich Leo ... dargebracht. Berlin 1911, p. 249—278.

captarent a quibus amore perductis in concubinatum emerentur? Sane debebant atque ne virginibus quidem ancillis suos amatores defuisse argumento Curculionis, quod Poenuli non dissimile esse Leonem non fugit, satis edocemur. Quae Karstenus¹ a sororibus meretricie et ab adolescente eiusque servo inverecunde ut in meretrices dicta esse censet dubitem an e nostratium magis spectatorum animo et sententia quam veterum illorum Atheniensium iudicaverit; quaedam Plautum vel addidisse e spectatorum suorum multiphagorum iudicio vel immutasse ut suspicari facile licet ita difficulter argumentis probatur². Sorores de fortuna sua querentes et invitae ad Aphrodisia spectanda ire iussae τραγικώτεροι mihi videntur quam quae in comoedia locum habere potuerint, multoque aptius puellae de Aphrodisiis inter se verba facientes introduci videntur, quae meretrices nondum factae primum Veneris pompam spectaturae sint. Accedit quod illius, quae nunc est scaena I 2, locum alteram scaenam habuisse, qua fortasse Collybiscus introduceretur, nobis concientibus nonnullae difficultates tolli videntur. Nam scaena I 2 inter duas interposita est, quarum prior (I 1) dominum cum servo sermocinantem praebet, dominum de lenone querentem, servum mox dolo quodam ficto se illum perditurum esse pollicentem; de eodem illo dolo eundem servum in scaena I 3 quaedam accuratius explicantem audimus, ita tamen, ut quamquam bis de eodem dolo inter se adolescentem et servum collocutos audiverimus, non inutilia quaedam omnino omissa sint, quod eo gravius offendimus, quo audacius servus ille se dolum expoliturum esse pollicitus est (188): 'placet consilium. — immo etiam ubi expolivero, magis hoc tum demum dices: nunc etiam rudest'. Quae difficultas neque Leonem neque Jachmannum fugit qui illam quae nunc est scaenam I 2 alterius fabulae exordium fuisse Plautumque brevitati consulentem quaedam omisisse putat, sed ne ita quidem aut quo modo servus et dominus cum puellis colloquentes introducti sint aut cur tandem scaenarum ordinem Plautus turbaverit satis intellegimus. Facilius autem illae difficultates tolli videntur, si scaenam I 2 e Carchedonio sumptam et substitutam esse statuerimus pro alia quadam, qua dolum fingi

¹ Mnemosyne 29 (1901), p. 365.

² Id fortasse non inutile est memoratu, ea verba, quae gravissimas offensiones praebeant, versibus 343 sq. inesse, qui cum eorum qui antecedunt sententia nullo modo cohaerent, sed per coniunctionem 'sed quid ais' satis impolite adiciuntur.

et parari spectatores audisse atque vidisse facile suspicabimur. Accedit quod Agorastocles versu 190 sermone interrupto improvisam mentionem Aphrodisiorum quasi intercalando incit, ipsam quoque a servo mox abruptam et absolutam, accedit quod ad dolum, qui fabulae huius esset argumentum, efficiendum et ad finem perducendum meretricibus in scaenam introductis opus non esset, immo fortasse meretrices ipsae alienae erant a fabula simplici et Curculionis vel Persae simplicitate non dissimili. In Carchedonio autem sorores ad Veneris aedem properaturas in scaenam prodiisse probabilissimum est, quae felicibus signis acceptis redeuntes a patre Carthaginensi filiae agnosci deberent. Cum igitur illam scaenam I 2 Carchedonio tribuendam esse, quamvis certis argumentis demonstrare nequeam, satis probabile mihi videatur, Ovidium versum illum e magno versuum numero fortasse celeberrimum e Carchedonio Menandrea hausisse suspicor.

IV. De imitationibus quibusdam Ovidianis.

Quamquam vereor ne nimis multa verba facere videar de uno eodem Artis Ovidianae versu, tamen facere non possum quin pauca addam de imitationibus quibusdam eiusdem illius versus, quem vel ipse Ovidius imitatus esse videtur, siquidem recte ei tribuitur epistula a Cydippa ad Acontium scripta. Qua in epistula Cydippa fingitur scripsisse, a sedula nutrice per Deli sacra loca ductam se ab Acontio fortasse primum esse spectatam; sunt autem haec eius verba: 'forsitan haec spectans a te spectabar, Aconti'. Quem versum ex imitatione illius Artis versus ortum esse inde apparere videtur, quod artificiosa illa figura ad Cydippae sententiam explicandam nequaquam necessaria eo tantum illi poetae, sive Ovidius ipse sive imitator eius fuit, se offerebat, quod sententiam de omnibus mulieribus feliciter dictam in unam quandam mulierem et certam quandam rem verbis paululum mutatis transferre licebat. Alter tamen hic *Metamorphoseon* versus (2, 98) dubitem an ab Ovidio Artis suae memore scriptus sit: 'quid, Agenore nate, peremptum serpentem spectas? et tu spectabere serpens'; Tristium certe versus quo Augustum appellat 'haec tu spectasti spectandaque saepe dedisti' sua ipsius sententia satis explicatur. Difficilis est quaestio, utrum haec Tertulliani verba, quae Paulus Brandt in Artis commentario cum Ovidii versu comparavit, sint Ovidiana imitatio necne: 'nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat nisi videri et videre' (spect. 25). Felix Bock in libro quem inscripsit 'Aristoteles Theophrastus

Seneca de matrimonio¹ Senecae haec verba adscripsit quae sunt in Hugonis Victorii de nuptiis libro I (Migne patrol. lat. 176 p. 1206): 'videre et videri summum bonum iudicant', Senecam autem hanc sententiam e Theophrasto hausisse putat, cuius fragmentum servavit Stobaeus (74, 42) hoc, quod iam supra attuli: οὔτε ὄρᾶν οὔτε ὄρᾶσθαι γυναικα, καὶ ταῦτα ἐξησκημένην πρὸς κάλλος· ἐπισπᾶται γὰρ ἀμφοτέρα πρὸς ἃ μὴ δεῖ. Sed potest etiam Hugo Victorius illam sententiam ex Tertulliano haustam libro inseruisse, Tertullianum autem ipsa Ovidii verba ante oculos habuisse pro certo affirmare non audeo, ita ut hanc quaestionem in suspensio relinquere malim quam incerta pro probabilibus vendere. E posteriorum autem Ovidiani versus imitationum exemplis unum, quod in celeberrimo illo novae quam vocant aetatis ineuntis libro immerito latere videtur, non sine aliqua voluptate te auditurum esse spero, quod ingeniosi illius equitis e Tarraconensis pago maculoso (pace fortissimi equitis dixerim) oriundi scutigerulus ille ingenio compar, Ovidianae illi sententiae moralem quandam vim quasi infundens, persapienter ut solebat quondam edixit: 'qui videre vellet, eum ipsum quoque velle videri'², generis communis scilicet forma pro femiino usus. His temporibus vel magis vel minus prudentes scriptores illa figura in libris et actis diurnis frequentissima uti, paene dixi abuti, videmus eaque arte testes esse Menandrum non omnem esse mortuum, sed artem et eius et Ovidii aliorumque veterum poetarum semper adhuc vivere atque durare.

Monachii.

Gualtharius Schwering.

¹ Leipziger Studien zur klass. Philologie. 19 (1899), p. 37. Cf. etiam Macrobbii verba, in quae sero incidi, sat. I 12, 27 'Varro Fauni filiam tradit adeo pudicam, ut extra γυναικωνίτιν nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum nec virum umquam viderit vel a viro visa sit, propter quod nec vir templum eius ingreditur'. Quibus cum verbis si Lactantii locum (inst. I 22, 10) compares: 'eandem Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo illam quoad vixerit praeter suum virum mas viderit nec nomen eius audierit' suspicari possis Macrobbium vel potius eum quam ille exscripserit (cf. G. Wissowa de Macrobbii saturnalium fontibus. Vratisl. diss. 1880 p. 17) Varronis verba rhetorice exornavisse.

² Don Quixote II c. 49.